

quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa misericors Deus, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus ; te in nostris principiis occursores poposcimus ; te in hoc fine iudiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus ; scilicet, ut ignorantie parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris ; et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare ; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus ; ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, à cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum ; qualiter, et transgressores venia, et confitentes tibi, subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Oratione dicta, Promotores requirunt more solito, confectionem rerum gestarum in hac tertia et ultima Sessione Instrumenti.

Tandem Pontifex benedicit solemniter omnibus dicens :

Sit nomen Domini benedictum, etc.

Et dat Indulgentiam. Quibus peractis, Diaconus stans juxta Pontificem dicit alta voce :

Recedamus in pace.

Et respondent omnes :

In nomine Christi.

Tunc omnes pariter surgentes, Pontificem cappa indutum, cum superpelliceis, ad Domum reducunt, et recedunt in pace.

IMPRIMATUR.

✠ IG. EPISCOPUS MARIANOPOLITANUS.

BIBLIOTHEQUE
SAINT-SULPICE